

res complectitur praevia ad *Leandrum* Ep. Epistola, textuque factis castigato.

## CCCLXXIV.

U. 268 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 357. f. per duas columnas munde descriptus, et rubricis pernotatus *Gregorii M. Moralium in Job Libros XVIII.* priores complectitur. Praeit *Index* alphabeticus Rerum satis exactus, ut primum fol. 45. Opus ipsum a *Prologo* auspicietur. *Reuerentissimo et sanctissimo fratri Leandro* (Ep. Hispal.) &c. *Dudum te frater beatissime in constantinopolitana urbe cognoscens* &c.

Fol. 47. p. 2. inchoat *Liber I. Inter multos sepe querunt* (quaeritur) *quis libri beati Job scriptor habeatur* &c. Exemplum collatum cum Edit. *Maur. Opp. T. I. col. 1.* probe respondet. *Finis L. XVIII. in ipso suo fonte bibimus* (biberimus). *Et sic est finis huius Operis.* Nempe dimidii; supersunt enim *Libri XVII.*

Theca Codicis intus conuestita est laciniis membraneis *Commentarii* cujusdam rabbinici in *Leuiticum*, et *Propetas* min. absque punctis.

*Scriptor ego serus in fine sedens rudigerus  
Oro Lectores esse mei memores.*

Non omittam, quae manu Sec. XIII. ad Coenobii historiam Codici praescripta sunt. *Ne per oblivionis dispendium uel temporis diurnitatem labilis hominum memo-*  
*Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

## CCCLXXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3061 XII. Folior. 108. f. per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, minio distinctus, cum in principio, tum praecipue in fol. ambiente postico vetusta manu inscribitur: *Liber Sancte marie in paugartenperig*, id est, *Monte Pomerio* Coenobio Ord. Cist. a. 1142. in *Austria* super. fundato, nunc vero sublato. Hanc autem Rubricam praefert: *In Explanatione Moralium Beati Gregorij pape per contemplationem sumpta in Job. Incipit Liber. Sextus. Pars Secunda.* Et ad Librum XI. *In explanatione moralium beati gregorii pape in iob liber XI. pars tertia.* Divisio igitur eadem, ut in edit. *Maur. T. I. Paris. 1705. col. 181.* unde et ad calcem Noster litera quadrata: *Explicit. Liber. XVII. Moralium. Beati. Gregorii. Pape. Urbis. Rome. Pars. III.* Textus pariter ad hanc Editionem comparatus valde emendatus est. Calligraphus, quem coenobitam *Pomariensem* putem, ita sub finem se nobis commendavit:

*ria sub incerto fluctuans super die uel termino consecrationis huius sancte basilice aliquando disentire uideatur, uolumus, ut idem terminus fugata tocius ambiguitatis ne-*

Ggg bula

bula modernis et posteris per presentem paginam declaretur. Sciendum igitur est, quod dominice incarnationis anno M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XLIII<sup>o</sup>. Indictione prima. XVII<sup>o</sup>. Kl. Maii consecrata est hec ecclesia cum suo altari a domino Ruodgero uenerabili Sancte patauiensis ecclesie Episcopo in honore summe et indiuidue trinitatis. et uictoriosissimi ligni Sancte crucis. et Sanctissime genitricis dei Marie. perpetue uirginis. & omnium Sanctorum. Specialiter autem in honore gloriose uirginis & genitricis dei Marie. Transposita est autem ipsa dedicatio a suprascripto reuerendo antistite usque in diem translationis sancti Martini episcopi et conf. (4. Jul.) qua in die singulis annis sollempniter est celebranda. Habentur autem in altari reliquie iste. De ueste ipsius gloriose uirginis Marie. De ligno Sancte crucis. Et sanctorum Petri et Pauli apostolorum. Andree apostoli. Philippi apostoli. Bartholomei apostoli. Marci euangeliste. Stephani protomartiris. Laurentii mart. Georgii mart. Viti mart. Lamberti episcopi et mart. Fabiani et Sebastiani mart.

Adjiciam etiam e calce Codicis Chartam Venditionis Sec. XII. exaratam: Notum facimus omnibus Christianis tam presentibus quam futuris, quod quidam nobilis homo Eberhardus nomine de nueban uendit predium quoddam in baselowe domino Hermanno abbati de bomgartenberge delegandum super altare sancte dei genitricis semperque uirginis marie in bomgartenberge a domino Alberto eiusdem

loci aduocato. qui est de berge. quod et fecit. et huius delegationis testes sunt. ipse Eberhardus de nueban. Irinfridus de ratelenberge. Cuonradus de ascabe. Nizo et frater eius de birchinuelde. Poppo de narden. Hanricus de hobenberge. Wichardus. Porno. Pilgerimus de croteltale. Albrecht de tiemenich. Otaker et gerboto de arbingen. Luodewicus et filius eius Reinoldus de fridebaldesdorf. Albewin gener predicti luodewici. Herbort de arbingen. Gotefridus de nestendorf. Reinfrid cognomento flaminc. Gundolt de halvesnobelensteine. Gotefalchus de inerenuelde. Egelsalchus de choulube. Gotefalchus de arbingen. Helenwic de inerenuelde. Plura ex adductis Locis etiamdum supersunt paullum mutatis, ne dicam, exasperatis nominibus elisione uocalium, quibus olim animata lenius ab ore fluebant.

## CCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 306a XII. Folior. 169. f. per duas columnas, utut non una manu, praeclare tamen exaratus, minio distinctus, olimque, ut non uno praeferat loco, Sancte Marie in boumgartenberge, id est, Montis Pomarii, potius Pomarii Ord. Cist. in super. Austria continet D. Gregorii M. Moralia in Job a Libro XXVII. usque ad finem. In fronte notatur: Iste liber XXVII<sup>o</sup>. non legatur in refectorio, quia lectus est in precedenti uolumine. Fortassis ideo, quia ad Partem V. totius Ope.